et his parcendo quibus pro culpis suis supplicia debentur. His quomodo secularis
potestas iusticiam exercere debet. legum instituta servans. et in eo pietati hu-
manitatem applicans in iudicando. Secularis autem potestas caput habet regem sive im-
peratorem. ab illo per subditas potestates duces et comites et prefectos et magistra-
tus alios descendentes. que tamen omnes a prima potestate auctoritatem sumunt et eius
subditis prelati deserviunt. **De ornamentis regis**

Habet quoque potestas secularis ornamenta quedam dignitatis sue quibus et excel-
lentiam ordinis sui ostendit et sacramentum ministerii significat. Anulus fi-
dem. armilla bonam operationem. sceptrum iusticiam. gladius vindictam.
purpura reverentiam. diadema gloriam designat. Et hec de seculari pote-
state in presenti dicta sufficiant. **De spirituali potestate et eius partibus**

Spiritualis potestas sic et ordinatur his
gradus et ordines dignitatum differentie. Primum signaculum in clericis est coro-
na que significat ad partem sortis ministerii divini. cui servire regna-
re est. Corona quippe regale decus significat. Sic dicit beatus Petrus apostolus. Vos e-
stis genus electum regale sacerdotium. Hec coma capitis clericorum mo-
do corone tonditur et ipsa capitis summitas desuper nudatur et revela-
tur. ut per hoc videatur intelligi quia ad regnum et potestatem assumitur. et quia ante
deum et dominum deinceps velatum esse non debet sed revelata facie et pura
mente domini sui gloriam contempletur. Summum capitis summum mentis. denudatio
capitis illuminationem mentis significat. Clericus quippe secretorum dei non
ignarus esse debet. quia nuntius eius est ad populum. Tondentur capilli capitis
usque ad apertionem et revelationem sensuum. id est oculorum et aurium. ne eum
ab audiendo et intellegendo libros dei terrenorum occupatio que per capillos
significatur impediat. Postquam clericus factus est debet deinceps de stipendiis
ecclesie sustentari et sub tutela et custodia spiritualium magistrorum scientia di-
vina et ecclesiastica disciplina erudiri quatenus ad sacros ordines ministerii